

At cum nihilo magis assensum a me inpetrare possem, quam qui nihil inpetrant: cum, vel nobis silentibus, Posteritatis, cujus hodie forte reverentia exuitur, censuram tumultuosos in sympulo fluctus notatione satyrica exagituram, vel justissima severitate damnaturam time-rem: sejuncta tanti veneratione viri a sentiendi & scribendi libertate, literatores in eruditorum republica, nullius sub regno dictatoris, agere arbitratus, manum tandem ad convellenda Emendationum Heuman- nianarum fundamenta admovi, eam censuræ laudem mihi proponens, quæ ex re & vero judicia dispensaret, non supparasitans ex affectu & gratia, noxias auctoribus priscis machinas, & insidias periculi plenas, silentii famulantis tegeter involucris.

Retrahebat rursus animum a proposito illa cogitatio, Virum doctum in deliciosissimis doctrinæ suæ epulis has tamquam adjiciales adposuisse cœnulas, &, ut in re subita structoribus evenire solet, lan- cium olim bene dispositarum lautitias hujus alieni embammatis missu corrupisse. Hærebat in memoria vere, ut solebat, & libere, dictum Petri Burmanni in Commentariis ad Phædrum, quod vim ingenii nostri suæ sibi tenuitatis conscii ad huc quidem retinet, quo minus criticam quotidianis suis deliciis, poëtis veteribus, intendat limam. *Magnum eos famæ periculum adire dicit, qui non poëtæ in poëtas commenta- rios aut notas scribunt.* Credebam, felicius forte in auctoribus histo- ricis & oratoribus rem gessisse Virum Celeberrimum, quam in Poeta- rum principe, hasque temere & tumultuarie expromptas dapes superio- rum deliciarum pretio & suavitate excusari posse.

At cum tempore interjecto ex literis amici certior essem factus, Censorem plerasque Bibliothecæ laudatæ insertas emendationes olim jam protulisse in Dissertatione Gottingensi, Historiæ literariæ Frag- menta aliquot exhibente: mire sibi Criticis his epulis tamquam Jovis cerebello placuisse, nec forte, qui talia nauseare sustineat, inventum iri, reputasse, conjeci, non vano fortassis augurio delusus.

En, Lector, primum Emendationis Heumannianæ caput.

Lib. I. Æneid. 591.

*Scindit se nubes, & in æthera purgat apertum,
Restitit Æneas, claraque in luce refulsit.*

A 3

„Prio-